

DE  
**NECESSARIA**  
**EXVLANTIVM**

HOC TEMPORE PLERISQVE  
 SCHOLIS SVPERIORIBVS,  
 GYMNASIIS IN PRIMIS ACADEMICIS LITERARVM HYMANITA-  
 TIS ET SEVERIORIS DISCIPLINAE

**RESTITVTIONE**

IN

INTRODVCTIONE

NOVI

**DIRECTORIS**

GYMNASII CASIMIRIANI ACADEMICI,


QVOD COBVRGI HOSPITATVR,

*DIE XXV. MENSIS SEXTILIS MDCCLXXII. INSTITVENDA,*

PAVCA QVAEDAM COMMENTATVR

**ERDMANNVS RVDOLPHVS FISCHER,**

SERENISS. DVCIS SAX. COBVRG. ET SALFELD A CONSILHS IN  
 CONSISTORIO, EPHORVS ECCLES. GENERALIS, PASTOR  
 AD D. MAVRIT. ET SCHOLARCHA.



COBVRGI,

EX OFFICINA AHLIANA.

*Viro D. Weikmanno Prof.  
 Theob. go. naechis go. Praeposito  
 cum illi officio sistim. m. h. d.  
 an. 1772.*

Coll. diss. A  
 167, 31

34. 167 (31)

THE GREAT BRITAIN

BY JOHN GARDNER

IN TWO VOLUMES

VOLUME I

LONDON

PRINTED BY RICHARD CLAY AND COMPANY

BUNGAY, SUFFOLK

1912

THE GREAT BRITAIN

BY JOHN GARDNER

IN TWO VOLUMES

VOLUME II





## I. N. I. A.

### I.



Praeclara et laudabilia in rempublicam christianam eorum sunt merita, qui de rerum in ecclesia et scholis collapsarum instauratione solliciti fuerunt, eamque pro viribus promouerunt. Qualia et quanta MARTINI LVTHERI et PHILIPPI MELANCHTHONIS in ecclesiam et Scholas sint merita, historia repurgatorum ab iis sacrorum satis superque testatur, nec quisquam, nisi ingratus et turpi inuidia occoecatus inficias ibit.

II. De restitutione christianismi et reipublicae christianaе integros libros extare, nouimus. Neque vero, illos vno eodemque animo et fine scriptos esse, apparet. Bono animo et fine quosdam exaratos esse, alios pessimo, ex lectione eorum patet. Quanto christianorum lectorum commodo illi editi sunt in publicum, tanto hi eorum damno.

A 2

III. Ad

III. Ad posteriorem hanc classem MICHAELIS SERVETI librum refero, quem speciose, sed falso, *Restitutionem Christianismi* inscripsit, Viennae Allobrogum editum a. clō clō LVIII. Natus est *Michaël Seruetus* anno Seculi XVI. nono, Villanovae in Arragonia, parentibus non iudaeis, sed christianis, patre ICTO. Et in hoc studium iuris Tolosae aliquandiu incubuit, callensque linguam hebraicam et graecam, sacras literas, Patresque, in primis Irenaeum et Tertullianum legit. Hausto Antitrinitariorum errore, Tolosa, vbi prope triennium haeserat, relicta, Basileam se recepit. Antequam Basilea abiret, *septem suos libros de Trinitatis erroribus* bibliopolae Conrado Rufs, formis describendos tradidit. Ne autem ibi imprimerentur, theologorum Heluetiorum vigilantia obstetit. Hagenoam igitur in Alsatiam eos misit, vbi a. clō clō XXXI. praesente *Serveto*, emissi sunt. Ex editis his erroneis libris vehementes turbae, praesertim in Germania, exortae sunt. Quas vt sedaret *Servetus*, sequente anno clō clō XXXII. *dialogos de Trinitate* edidit, in quibus multa, quae in septem illis libris durius asseruerat, emendare studuit. Triennio ferme Lugduni consumto, Lutetiam Parisiorum migravit ibique studiis iuris vale dixit; vbi, misera fortassis corporis valetudine commotus, ad artem medicam se applicuit, cui quoque ducibus *Sylvio* et *Fernelio*, medicis ea aetate experientissimis, tam diligentem nauavit operam, vt breui temporis spatio Medicinae Doctor crearetur. Imprudens eius feruor restituendi veri Christianismi impulit eum, vt Viennae ederet perniciosissimum librum, quem male vocauit *Restitutionem Christianismi*. Integra pessimi libri inscriptio haec est: *Christianismi Restitutio, h. e. totius ecclesiae apostolicae ad sua limina vocatio, in integrum restituta cognitione Dei, fidei Christi, iustificationis nostrae et regenerationis baptismi ac coenae Domini manducationis. Restituto nobis denique regno coelesti, Babylonis impiae captiuitate soluta et Antichristo cum suis penitus destructo, 1553.* Rarissimus hic liber est, qui auctori suo exitium peperit, et femori

mori eius alligatus cum ipso combustus est. Combustio haec facta est Geneuae a. clo lo lxxx. die xxvi. Octobris. Sic obiit *Seruetus*, homo, si ingenium et doctrinam spectes, certe magnus, vt illa erant tempora, si religionem, portentosus. De quibus omnibus pluribus exponit IOHANNES LAVRENTIVS MOSHEMIVS in *Historia Michaëlis Serueti, quae prodiit Helmstadii clo lo cc xxvii. in primis quod ad Restitutionem Christianismi attinet, f. 20. p. 49. 199. seqq.* Copiosius b. vir omnia enarrat in libro, qui prodiit Helmstadii a. 1745. et inscribitur: *Anderweitiger Versuch einer vollständigen und unparthenischen Keßer-Geschichte, und zwar Geschichte des berühmten Spanischen Arztes, Michaels Servet, in primis lib. 3. f. 15 - 28.*

IV. Est igitur *Serueti* liber, quem vocat *Restitutionem Christianismi*, potius destitutio, imo destructio Christianismi, quam restitutio eiusdem, adeoque merito detestandus. Eo maiorem laudem meretur D. IOANNES VALENTINVS ANDREAE, qui superiore seculo libellos lectu dignos *de restitutione reipublicae christianae in Germania* vulgavit. Erat is magni aui, *Iacobi Andreae*, non minor nepos. Vtriusque memoria apud eos, qui illorum merita norunt, fausta est. *Iohannes Valentinus Andreae* ex Superintendente Caluensi a. 1639. Ducis Würtembergici restituti, Eberhardi, concionator Aulicus et Consistorii Assessor, diu reluctatus, factus est. Quumque vires eius languescere coepissent, primum abbas Bebenhusanus a. 1650. deinde Adelbergensis a. 1654. constitutus est. Quo anno natus annos 68. obiit. Erat vir acutissimi ingenii, subacti iudicii et feruidi Spiritus, pietate et zelo pro veri christianismi praxi excellens, restaurator ordinationis ecclesiasticae et sanctioris disciplinae indefessus: reformationis ecclesiae Lutheranae, quantum ad corruptos mores, summe cupidus. Mentem eius emendandarum corruptelarum ecclesiasticarum et scholasticarum cupidissimam elegantes ipsius libelli eloquuntur, sicut: *Cosmoxeni genitura: Hercules christianus: christianus*

*stianus genuinus: Peregrini in patria errores: Mythologia christiana: Cuius christianus: Theophilus: de christiana religione sanctius colenda: Opuscula de institutione reipublicae christianae.* Laudat hos et alios libellos IOH. GERHARDVS MEVSCHE-NIVS im Christlichen Bedenken von der Reformation der Universitäten und Schulen, et quidem in praefatione. Haec et alia de b. *Andrae* commemorat LVDOVICVS MELCHIOR FISCHLI-NVS in *Memoria theologorum Württembergensium restaurata*. P. 2. p. 129. sqq. Famam optimi theologi a falsis narrationibus *Godofredi Arnoldi* vindicat ANDREAS DAVIDES CAROLVS in libro, quem inscripsit: *Württembergische Unschuld*, cap. 9. | GE-ORGIVS SERPILIYS in *Epitaphiis theologorum Sueuicorum*. p. 10. sqq.

V. CHRISTOPHORVS CELLARIVS, fugientium literarum elegantiorum stator diligentissimus, a Friderico, Borussiae rege, anno 1699, ad eloquentiam atque antiquitates in Academia Halensi profitendas euocatus, cum FRIDERICO HOFFMANNO, celeberrimo medicinae professore, tum temporis Prorectore, eo rem adduxit, ut Academiae conditor Collegium politioris doctrinae, siue elegantium meliorumque literarum in noua sua musarum sede constitueret et perpetuo seruari iuberet. Sub cuius collegii initium Cellarius orationem *de melioribus literis restituendis* habuit. Sed, qui erat lugubris seculi eius bonarum literarum contemptus, pauci adfuerunt, qui, duce Cellario, ad elegantiorum musarum culturam, operam et mentem suam dirigebant. Qui discentium contemptus collegio huic interitum peperit. (a)

VI. Vtinam laetior esset scholarum Superiorum Academicorum in primis Gymnasiorum nostra aetate facies! sed quam flebilis literarum humanitatis conspicitur in illis defectus et  
ne-

(a) vid. *Vita Chr. Cellarii*, quam conscripsit Ioh. Georg. Walchius et praemisit *Dissertationibus eius academicis* p. 14.

neglectus! Quod sane infaustum magnae barbariei est omen. Scholae quidem Corbacensi contigit, ut CONRADVS SAMVEL SCHVRZFLEISCHIVS literis publicis excitus, munus Rectoris in ea capesseret, quod tamen paulo post suapte sponte deseruit, quod schola tam angusta non caperet ingenium tam augustum. (b) Sed nostra aetate scholae inferiores satis habere coguntur, si iis ob nimiam salariorum tenuitatem eiusmodi obtingunt magistri, qui primoribus labris humaniora studia vix attigerunt. Hi igitur scholis superioribus eiusmodi tradunt discipulos, qui ne rudimenta quidem et incunabula graecae et latinae linguae ceperunt. Quam ob rem qui scholis superioribus sunt praefecti, id agere necesse habent, ut eorum ruditati primum medeantur, postea iis humanitatis studia instillent.

VII. Si enim peritissimus rei scholasticae vir, CHRISTOPHORVS CELLARIVS, meliores literas in noua Academia Fridericiana restituendas iudicauit; quanto magis literae ad humanitatem pertinentes adolescentibus a superiorum scholarum doctoribus, Gymnasiorum etiam Academicorum professoribus sic sunt propinandae, ut earum maior, quam philosophiae, ratio habeatur: Literarum autem humanitatis nomine linguam latinam, graecam et hebraicam complectimur. Tres enim has linguas eos addiscere et nosse oportet, qui literas humanitatis cognouisse et imbibisse videri volunt.

VIII. Ut sufficientem linguae latinae facultatem sibi comparent scholarum et Gymnasiorum alumni, legendi et explicandi illis sunt scriptores veteres optimi et cultissimi, nominatim vnus ante alios, *M. Tullius Cicero*, ex historicis vberri-  
mus *T. Liuius*, tum praefiores et magis proprie scribentes, *Iulius Caesar* et *Cornelius Nepos*, haud exclusis aliis, praesertim  
C. Sal-

(b) v. *Memoria Conr. Sam. Schurzfleischii renouata a Ioh. Guilielmo Ber-  
gero, annexa eius epistolis selectioribus.* p. II,

*C. Sallustio et Velleio Paterculo.* Qui autem scriptorem quendam stili formandi gratia, legendum et explicandum sumferit, eum ad tria animum appellere oportet: vt mentem auctoris recte percipiat: vt elegantiam ornatumque obseruet: vt dictionem totam prudenter imitetur. Sedula enim et studiosa imitatione omnia in succum et sanguinem vertenda sunt, ita quidem, vt non voces tantum et phrasas easdem ad rem similem accommodare conemur, sed et in aliis quoque et rebus et phrasibus similem orationis ordinem, numerum et periodos, totamque adeo compositionem exprimere allaboremus. Quod est praeceptum beati mei praeceptoris, PHILIPPI THEODORI VERPOORTENII, eloquentiae et graecae linguae in nostro Gymnasio professoris, de eo meritissimi, cuius similem eruditione et indefesso labore illud recuperaturum non est. Neque vero, seposita Grammatica, qui seculi nostri peruersus mos est, solida linguae latinae cognitio acquiritur. Hac ratione et solo vsu theologus Helmstadiensis non ignotus, *Fridericus Vlricus Calixtus*, linguam latinam addidicisse fertur, cui semper in scribendo aquam haesisse aiunt. Tam noxius est Grammaticae latinae in scholis neglectus, vt sui contemptum vindicet in senectute. Quo maiore studio in scriptorum classicorum expositione et imitationum correctione, Grammaticae vsus commendatum sibi magistri scholarum habebunt. Ad magnam iuuentutis studiosae vtilitatem augendam, eamque purioris stili scientia imbuendam, adiungent HORATII TVRSSELLINI *de particulis latinae orationis* libellum vtilissimum, a IOHANNE CONRADO SCHWARZIO locupletatum, qui adhuc sepultus quasi iacuit. Dignum christianis scholis est, christianos scriptores in iis non exulare, quales sunt MINVICIVS FELIX *in Octauio* LACTANTIVS, *Firmianus, in diuinis institutionibus*, SVLPICIVS SEVERVS *in historia sacra et dialogis*. Nec poenitebit elegantioris stili latini cultores, nostrae aetatis auctores cultioris stili studiosos legisse, sicut sunt

AN-

Coll. Diss. A 167, misc 31



ANGELI POLITIANI *Epistolae*; PETRI BEMBI *Epistolae*; IACOBI SADOLETI *Epistolae*; M. ANTONII MVRETI *Orationes et Epistolae*; PETRI CVNAEI *Orationes et Epistolae*; CONRADI SAMVELIS SCHVRZFLEISCHII *Dissertationes Academicae, Orationes panegyricae et allocutiones varii argumenti, Epistolae selectiores*; IACOBI FACCIOLATI *Orationes de optimis studiis*; PAVLINI a S. IOSEPHO *orationes*. Non solum autem solutae orationis scriptores latini scholarum Superiorum vsui publico sunt commendandi, sed et ligatae orationis scriptores. Latina enim poësis multum ad culturam et conseruationem ipsius linguae facit. Poëtae enim latini solliciti sunt de epithetis, quae congruunt, de similibus et aptis descriptionibus, de veris Synonymis, vnde copia verborum, de accentu etiam, sine quo vitiosa est pronuntiatio. (a) Iudice autem CHRISTOPHORO CELLARIO, in scholis vtilissime explicantur hi poëtae, *Virgilius, Horatius, Ouidius, Silius Italicus, Aur. Prudentius*. (b) Qui ideo etiam sunt legendi et explicandi, vt artificium poëticum addiscatur et eliminata veluti nostra aetate poësis latina postliminio ad nos redeat, et vena poëtica latina maiorum nostrorum, *Iohannis Oweni, Nathanaëlis Chytraei, Georgii Sabini, Eobani Hessi, Petri Lotichii, Thomae Naogeorgii, Iohannis Maioris, Friderici Taubmanni, Nicolai Reusneri, Iulii Caesaris Scaligeri, Danielis Heinsii, Hugonis Grotii, Casparis Barlaei*, quasi exsanguis ebullire et scaturire incipiat. Teutonica enim poësis, quae vbique hodie per Germaniam nostram sonat, latinam exterminauit. De qua b. Cellarii iudicium hoc est: *Sunt, qui adolescentes ad patrii sermonis culturam adducant magis atque prius, quam latine scribere coepissent, verum, vt nobis videtur, consilio id fit praepostero. Nam experientia, nobis multis exemplis perspectissima,*

B constat,

(a) v. CHR. CELLARII *diss. de poëtis scholae publicae vtilioribus*, §. 28. quae legitur in *dissertationibus eius Academicis*, p. 670.

(b) l. c. §. 29. - 35.

constat, qui primos annos in germanicae linguae eloquentia vel carminibus impenderunt, eos nunquam postea ad veram et ornatiorem latinitatem perduci potuisse. Nostrae linguae autem quae sunt, quia ab incunabulis adhaerent, semper addisci possunt, et rectius discuntur, si ex latina artem, vim et ornatum orationis seu carminis prius didicerint. Quae causa fuit, ut Romani prius graece, quam latine declamarent, cuius rationem Cicero in Bruto cap. XC. adfert, et suo exemplo confirmat. (c) Quae verba nostri temporis faciem viuis coloribus depingunt. Vtinam, qui se depictos animaduertunt, legendo haec erubescant!

IX. Ut M. T. Cicero ad suam utilitatem semper cum graecis latina coniunxit; sic periti et prudentes scholarum rectores idem suis discipulis omnibus censebunt faciendum, ut cum latinis graeca coniungant et pares esse studeant in vtriusque orationis facultate. Graecae enim linguae scientia theologiae, iuris et medicinae studiosis aequae est necessaria. Ad eam igitur perdiscendam animum omni contentione appellant, et illud Venusini poetae, *de arte poetica v. 273. seq.* sibi dictum putent:

- - - - - „Vos exemplaria graeca  
Nocturna versate manu, versate diurna.

Exemplaria autem graeca, quae versare debent, sunt volumina sacra et profana. Libri novi testamenti non quidem barbarismis et soloecismis sunt deturpati, a qua criminatione eos BALTHASAR STOLBERGIUS (d) et IOHANNES CONRADVS SCHWARZIVS (e) vindicauerunt; scitent tamen Hebraismis, id quod IOHANNES VORSTIVS (f) et IOANNES LEVS-

(c) l. c. §. 38.

(d) In Tr. de Soloecismis et barbarismis graecae noui foederis dictioni falso tributis.

(e) Libro de opinatis discipulorum Christi Soloecismis.

(f) Comm. de hebraismis N. T.

LEUSDENVS (g) docuerunt. Addendi igitur sunt scriptores profani, e quibus purior graecismus cognoscitur. Cuiusmodi sunt *Thucydides, Xenophon, Plato, Aeschines Socraticus, Palaephatus, Theophrastus, Demosthenes, Isocrates, Aelianus, Herodianus, Homerus, Hesiodus, Euripides, Sophocles, Pindarus, Aeschylus, Anacreon*. Ut autem magistri alumnos suos pleniore et solidiore graecarum literarum scientia augeant; crebro et perpetuo Grammaticae graecae vsu opus esse sciant. Neque enim fieri potest, vt quis graeca intelligat, qui Grammaticam graecam non imbibit. Illi certe in graecis profecisse se nouerint, quibus Grammatica graeca placebit. Illis quoque, qui vltra vulgus graecismum sapere volunt, vtile erit euolendis *Hesychii et Suidae Lexicis, Scholiastis* item *graecis* in tempore assuefieri. Iuuabat quoque eos FRANCISCI VIGERII librum *de idiotismis praecipuis linguae graecae*, MATTHAEI DEVARII librum *de graecae linguae particulis et* LAMBERTI BOS *Ellipses graecas* assidue perlegisse. Vsitatas olim in Gymnasiis elaborationes graecos etiam desueuisse, notum est. Num autem illi, qui hanc desuetudinem induxerunt, consulte fecerint, et graecis literis incrementum attulerint, prudentiores viderint. Neminem certe fugit, CHRISTOPHORVM SONNTAGIVM, theologum Altorfinum, virum in graeca lingua exercitatissimum, et ad colloquendum hoc sermone cum quouis homine, in Graecia licet nato, ex tempore paratissimum, duodecim disputationes graecas conscripsisse et publice habuisse. (h) Et ego alumnus nostri Gymnasii, paedagogicus et publicus, multas imitationes ex N. T. Isocrate et Herodiano, latine in calamum a doctissimo et laboribus vocationis immortuo, *Verpoortennio* dictatas, graece elaboravi, quas ille impigre et accurate emendauit. Ad cognoscendam variorum antiquorum scriptorum

B 2

grae-

- (g) *Libello singulari de dialectis N. T. singulatim de eius hebraisimis.*  
 (h) v. G. G. ZELTNERI *Vitas theologorum Altorfinorum*, p. 449. 446. *vbi titulos harum disputationum ab anno 1694. vsque ad annum 1716. exhibet.*

graecorum, profanorum et christianorum, stili indolem et varietatem, materiam latine versam ex iis, non indicato eorum nomine, graece elaborandam nobis proposuit et elaborationi nostrae, a se correctae, verba scriptoris, quibus eam elocutus est, adiecit. Erant autem sequentes scriptores: *Thucydides, Xenophon, Demosthenes, Lysias, Plato, Plutarchus, Aristoteles, Herodotus, Dionysius Halicarnassenseus, Polybius, Aelianus, Dio Cassius, Epictetus, Iohannes Stobaeus, Athenaeus, Theophrastus, Diogenes Laërtius, Diodorus Siculus, Herodianus, Apollodorus, Dioscorides, Lucianus, Pausanias, Maximus Tyrius, Aphthonius, Heraclitus Ponticus, Demetrius Phalereus, Basilus, Athenagoras, Clemens Alexandrinus, Caesarius, Gregorius Nazianzenus, Epiphanius, Gregorius Nyssenus, Isidorus Pelusiota, Theodoritus, Macarius.* Ex quo apparet, quam patiens fuerit laborum doctissimus *Verpoortennius*, quam studiosus eruditionis graecae auditorum suorum augendae. Et hoc agendo beatus vir ad decretum Visitatorium anni 1684. se conformavit, quo Professores nostri Gymnasii exercitia stili latini et graeci non solum in coetu paedagogicorum, verum etiam publicorum proponere et corrigere iubentur.

X. Qui linguae hebraicae scientiam a literarum humanitatis ambitu seiungunt, eaque harum studiosos carere posse opinantur, graui eoque damno errore ducuntur. Qui enim literas hebraicas non attigerunt, neque libros noui foederis, hebraismis refertos, neque scriptores graecos profanos recte solideque interpretari possunt. Monuit hoc nuper, in taxando errore eorum, qui arbitrantur, qui literas humanitatis cognoscere et imbibere constituerint, linguae hebraicae ignaros esse posse, filius meus, *Iohannes Fridericus Fischerus*, humaniorum literarum in Academia Lipsiensi Professor publicus extraordinarius et Scholae Thomanae ibidem Rector. (i) Postquam

(i) *In praefatiuncula, quam praemisit descriptioni lectionum, quae ab magistris scholae Thomanae hoc anno habebantur.*

quam enim recte, ut puto, asseruit, vocibus magistrorum multorum illiberalibus, qui hebraicarum literarum cognitionem clamitant pertinere ad studia eorum, qui capita atque partes doctrinae christianae mente complecti ac tradere aliis oratione aliquando velint, adeo, ut sinant aequis animis, et vero iubeant abesse reliquos discipulos ab iis lectionibus, quibus vel explicantur initia hebraici sermonis, vel ipsi libri diuini enarrantur, non mediocrem stultitiam declarari, ita scribere pergit: *Etenim omnes literarum humanitatis studiosi, quales sane esse oportet omnes doctrinae grauis tirones, consequi debent facultatem interpretandi libros veteris Graecitatis auctorum: sed horum volumina sine magna linguae hebraicae notitia explicari nullo modo possunt. Certe in Homeri poematis, in fabulis Aeschyli, Euripidis, Sophoclis ac in Pindari Odis, e quibus fontibus nemo ignorat ab omnibus posteriorum temporum scriptoribus et sententiam haustam esse, et verborum vim non paruum, comparent vestigia orationis orientis propemodum plura, quam in ipsis N. T. libris, ita, ut nemo horum hominum scripta recte attingere et interpretari accurate ullo modo possit, qui non totum imbiberit usum loquendi civitatum Orientis.*

XI. Quam necessaria exulantium plerisque scholis superioribus, Gymnasiis imprimis Academicis humanitatis literarum reuocatio est; tam necessaria quoque neglectae plerumque seuerioris disciplinae cultura esse recte putatur. Iam sua aetate Ciceronem questum esse aiunt: *Nulla iam est nostrorum temporum disciplina.* (k) Quam querelam, proh dolor!

B 3

repe-

(k) In BASILII FABRI *Thesauri eruditionis scholasticae, quem AVGVSTVS BVCHNERVS* recensuit et accessionibus auxit, sub voce *Disciplina* leguntur haec verba et germanice sic vertuntur: *Es gehet jetzt zu unserer Zeit überall übel zu, und ist weder Zucht noch Ehrbarkeit.* Additur Cicero de Senectute. *Chr. Cellarius*, qui eundem thesaurum locupletavit, eadem verba habet ac addit: Cicero de Sen. c. 16. Verum in Cicerone l. c. non leguntur. Forfan igitur *Buchnerus*, qui antea ver-

repetere nos oportet, si ad faciem nostrae ecclesiae et scholarum respiciamus. Multorum Principum immatura lenitate, imoleuitate, et antistitum quorundam ἀνθρώπων παρῆστων culpa, magno ecclesiae damno, factum est, ut seuerioris disciplinae ecclesiasticae, quae tempore ERNESTI PII adhuc vixit, ne umbram quidem habeamus. Et quam vehementer periti rei scholasticae viri castigatae disciplinae exercitium in plerisque scholis desiderant! Neglecta enim in scholis, etiam superioribus, seueriore disciplina, adolescentum mores deprauantur. Soluta disciplina scholastica, leges diuinae et humanae a scholarum alumnis petulantiter soluuntur. *Blanda patrum segnes facit indulgentia natos*, inquit *Mantuanus*. Et indulgentia blanda rectorum scholarum discipulos segnes ad virtutes fieri et omnibus vitiis indulgere videas. Hoc diligentius igitur, qui Lyceorum regimena tenent, id sibi negotii dari credent, ut disciplinam scholasticam ad priscos redigant mores. Illorum igitur, quos sibi in disciplinam traditos esse vident, ingenia seueriore disciplina sic formabunt, ut salutaribus admonitionibus, quas Graecorum philosophi παρανέσεις vocant, cultui diuino priuato et publico, frequentandis cum fructu praelectionibus publicis et priuatis, honestis et decoris moribus assuefiant. Ut omnis generis vitia, otia et praua sodalitia cane peius et angue ode- rint et fugiant, sedulo suos et grauitur hortabuntur. Qui paternas eorum adhortationes et dehortationes malitiose detre- ctant, corporis et carceris poena coërcerent, nec illos audient, qui parcendum arbitrantur iuueni Absolomo. Sic se gerendo et disciplinam castigatissimam colendo, propitio numine, disci- plinatos et bene moratos habebunt scholarum suarum alumnos. Tales erant Gymnasii nostri ciues, Directore D. *Iohanne Mat- thaeo Meyfarto*, viro pietatis honestique studio feruente. Is enim,

ba Ciceronis de Sen. c. 16. dicentis, *se satis admirari non posse tempo- rum disciplinam*, protulerat, haec, quae attulimus, ex suo ingenio addidit, in sua fortasse tempora conuenientia.

enim, quando in Academiarum corruptissimos mores integro volumine inuehitur, Academicorum luxuriae maxime Casimirianorum suorum opponit probitatem. (1)

XII. Si, qui nunc sunt Gymnasii nostri ciues, eandem laudem cogitauerint, qua Casimiriani superioribus temporibus a Directore suo, *Meyfarto*, ornati sunt; noui sui Directoris molestos labores non parum alleuabunt. Is est *Vir Maxime Reuerendus, Amplissimus ac Doctissimus, Dn. M. IOHANNES CASIMIRVS HAPPACHIVS, Nostras, adhuc illustris Consistorii Assessor et Ecclesiastes aulicus primus*, de muneribus, quae obiit, optime meritus. Quem quum *Serenissimo Duci nostro, Domino ERNESTO FRIDERICO, Duci Saxoniae, Iuliae, Cliuia et Montium etc.* nutritio hujus Gymnasii Clementissimo, grauissimum Scholarcharum Collegium dignum hoc munere virum commendasset; Serenissimus Princeps eum Gymnasii huius illustris Directorem nominare non dubitauit, et vocationis tabulas ei tradi clementissime iussit. Introductioni eius dies xxv. mensis Augusti dictus est, quam ego, hora ante-meridiana ix., habita oratiuncula *de tristibus nostri Gymnasii fatis, quae hoc seculo ei obtigerunt*, instituiam. Ad quam solennitatem Serenissimum patriae Patrem, clementissimum Principem heredem eiusque fratrem, aulac et reipublicae proceres, illustres Scholarchas, reuerendos ecclesiae ministros, clarissimos Gymnasii Professores, omnesque literarum in nostra vrbe fautores ea, qua decet, animi submissione, obseruantia ac humanitate inuito; ciues vero Casimirianos utriusque coetus frequentes adesse iubeo. Ea est doctrina nouus Director, vt non solum de eo bene sperare, sed etiam confidere possimus, eum Gymnasium nostrum ornaturum, ad promouendam illius salutem advigilaturum-

(1) *In libro, qui inscribitur: Christliche Erinnerung von der aus den evangelischen hohen Schulen in Teutschland an manchen Ort entwichenen Ordnung und ehrbaren Sitten etc.*

XVI

turum, optimarum literarum et feuerioris disciplinae felicem restitutorem futurum. Namque prodit e schola et disciplina celeberrimorum duumvirorum, *Iohannis Conradi Schwarzii* et *Iohannis Matthiae Gesneri*, qui humanitatis literarum felices statores in Germania extiterunt, quorum discipulum *ισοτερικόν* et interioris admissionis eum fuisse scimus. Faxit omnium bonorum auctor, Deus, vt munere suo ita fungatur, vt studiosa iuuentus vberrimos ex eo fructus capiat. P.P. Dominica X. post Trinitatis  $\epsilon\iota\omicron\iota\epsilon\epsilon\iota\iota\epsilon\epsilon\iota\iota$ .



Coll. dis. A. 167, misc. 31